Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

plano sermone incipiens, asserebat quod ipse esset verus deus quem predicat romulus et socii eius. Pagani vero qui affuerant viso tanto miraculo, abrenuntiantes ydolis crediderunt in dominum ihesum. Karistia vero dimidium eadem die omnis sue facultatis pauperibus et egenis erogavit. Renuntiavit autem romulus iustino dicens. Dominus ihesus christus multitudine misericordie sue loqui fecit. Qui cepit laudare et magnificare dominum ihesum, dixitque ad romulum. Sermonem oris tui dominus in omnibus adimpleat. Tunc rogatus est a paganis subregulus neronis et dux civitatis ut expelleret iustinum et romulum cum sociis eorum de sua urbe. Congregati ergo pagani eiecerunt iustinum et romulum sociosque eorum extra urbem, intimantes tormentis se eos affecturos, gladioque capita eorum ferituros si ultra in civitate sua eos repperissent. Iustinus autem percipiens se iniuriam cum magna cordis contritione, hanc ad dominum fudit orationem dicens. Domine deus qui predicatione magistri mei petri apostoli tui ad te vocare dignatus es nos, libera nos a persecutoribus nostris ut non gaudeant de nobis inimici nostri, et a tormentis eorum erue nos. Deus invisibilis et immortalis exaudire nos digneris, et omnes persecutores nostros converte ad te ut cognoscant te sicut et nos. Tunc reversi sunt ad urbem romam romulus et martianus, nuntiaverunt domino suo petro, et dixerunt ei quomodo ad urbem sutrinam pervenissent, et domum pagani ingressi baptizassent eum cum omni domo sua, et qualiter ipsa die baptizati essent homines utriusque sexus quasi L, et quomodo loquelam restituissent filie Karistie, et quomodo C.XL. diebus in eadem urbe commorati multos predicatione sua ad dominum ihesum convertissent. Retulerunt etiam qualiter ex urbe eiecti sint insidiis paganorum et fraude subreguli neronis.

Beatus autem petrus audiens quod multi predicatione eorum crediderunt in dominum ihesum, gratias agens deo et dixit ad eos. Eo tempore quo misit me dominus ihesus christus huc, direxi ad civitatem antoninam duos discipulos meos karissimum et dulcissimum, ut superstitione demonum in expulsa, corda hominum verbi dei pabulo reficerent, eosque ad fidem christi in quantum ipsi annuissent converterent. De quorum certamine et vite conversatione quia nichil cognovi ex quo eos illuc misi, volo te o romule fesolam dirigere, ut cum in itinere fratres tuos visitaveris, predices ibi verbum domini nostri ihesu christi, duosque socios in adiutorium tue predicationis adiungam, martianum scilicet et crescentianum. Romulus ergo benigne suscipiens iussa magistri, parabat se omni studio ad ea que iussa fuerant facienda. Beatus autem petrus imponens manum super caput romuli, pontificemque eum faciens dixit.

Dominus meus ihesus christus in cuius nomine te dirigo mittat angelum suum de celis qui iter tuum custodiat, et faciat de predicatione tua de infidelibus fideles, ut relicto ydolorum errore cognoscant creatorem suum. Beatus itaque romulus ~~expleta~~ cum duobus adiutoribus martiano et crescentiano dictis magistri obsequens iter absque mora aggressus est, et constanter verbum dei ubique predicans pervenit ad urbem antoninam. Appropinquantes autem porte civitatis, invenerunt iuvenem et dixerunt ei. Quo nomine vocatur hec civitas? Qui dixit. Antonina que ante omnes civitates tuscie creditur fuisse condita. hec et fesola. Et iuvenis vos inquit unde estis? Responderunt.

De urbe roma venimus predicare gentibus nomen domini ihesu, ut ab ydolorum cultura recedentes, credant domino nostro ihesu christo creatori suo cuius nos servi sumus. Dic ergo iuvenis siquis aliquando huius nominis predicator et doctor in hac urbe apparuit. Tunc iuvenis. Venerunt inquit ad nos duo viri floridi etate et magni sapientia, quorum facies velut solis iubar emicabat. Qui cum predicarent christum quem iudei crucifixerunt, comprehensi a civibus nostris, graviterque virgis cesi civitate pulsi sunt.

Audivimus autem quod in latere montis illius latebram sibi foveant. Hoc audiens romulus et martianus et crescentius celeriter ad latebram monstratam montis cum suis sociis invenit carissimum et dulcissimum in secretis montis illius antris cotidianis vigiliis ieiuniis orationibus corpora sua macerantes. Quos cum vidisset beatus romulus gaudens illos salutavit, sibique oscula invicem dederunt.

Auditis autem causis tristis carissimus et dulcissimus et quomodo a beato petro apostolo directi essent, letantes iunxerunt se beato romulo. Regrediens ergo romulus et socii eius constanter ingressi sunt civitatem, veneruntque in domum cuiusdam in nomine victimi. Qui gemens filium suum languentem plorabat.

Mater vero pueri et omnes affines lugubres voces gemendo emittebant. Veniens ergo romulus cum sociis ad ostium domus, dixit patri languentis. Ut quid fles iuvenis? Domine ait video filium meum morientem. Cui romulus ait. Dominus meus christus ihesus potest eum salvare. Tunc victimus prostravit se ad pedes beati romuli promittens si filium suum curaret ydola desereret, et dominum ihesum cum tota familia sua crederet. Audiens autem devotionem victimi, oravit ad dominum dicens. Domine ihesu christe in cuius nomine magister meus petrus virtutes operatur plurimas, iube hominem istum sanari, et pristine sanitati restitui. Et appropinquans posuit manum super caput eius dicens. Domine deus meus qui liberasti pensionem a languore, libera hunc famulum tuum et pristine eum restitue sanitati, ut cognoscat te verum dominum liberatorem animarum et corporum. Et confestim surrexit infirmus, et stans super pedes